

catio agentis ad passum solum est conditio sine qua non operabitur agens naturale; ergo optime poterit a Deo suppleri, atque adeo cum humanitas agat ut instrumentum divinitatis, bene poterit virtute divina operari physice circa subjectum loco distans.

TERTIA CONCLUSIO.

XXII. Christi humanitas non causabat physice instrumentaliter gratiam, et justificationem nostram, aut miracula mediante Angelis. Hæc est contra aliquos theologos, quos in secunda sententia retulimus. Probatur tamen, nam gratia sacramentorum causatur ab humanitate Christi, si quidem ab ejus passione habent sacramenta virtutem; sed talis gratia sacramentalis non causatur mediante Angelis; ergo concursus instrumentalis, quem habebat humanitas circa subjectum distans, aut modo habet existens in cœlo, non fit mediante Angelis.

XXIII. Secundo, quia Angeli faciunt miracula sicut alii sancti, scilicet orando, aut solum exhibendo ministerium in miraculis, ut colligendo cineres, aut pulveres nostros in resurrectione generali; ergo humanitas Christi non operabatur miracula physice mediante Angelis. Consequentia est optima, quia si Angeli non concurrunt physice, sed solum moraliter ad talia miracula, neque etiam humanitas Christi mediante illis. Antecedens autem est expressum D. Thomæ I part. quæst. cx, art. iv, ad primum, et in iv, dist. XLIII, quæst. II, artic. II, quæstiuncula III, ubi docet: «Quod anima in resurrectione unitur corpori sine ministerio Angelorum,» atque adeo cum illud sit miraculum

humanitatis circa resurrectionem, non fiet mediante Angelis.

XXIV. Tertio: Nam Angelus mediante quo humanitas Christi operaretur miraculum, aut esset conjunctus ipsi humanitati, aut rei in qua miraculum exercetur, neutro modo potest concurrere physice; ergo. Probatur minor, quia si conjunctus est humanitati Christi, si humanitas eo quod distat a subjecto miraculi non poterat operari physice, multo minus Angelus virtute ejus si subjectum miraculi ponatur extra spheram activitatis Angeli: si vero dicatur, quod Angelus est conjunctus ipsi subjecto miraculi distanti ab humanitate, jam humanitas Christi sicut distat a subjecto miraculi, distabit etiam ab ipso Angelo, et consequenter non poterit in illum operari, ut eum constituat instrumentum suum in ordine ad miracula circa res distantes; humanitas ergo Christi non operabatur miracula, aut justificationes nostras mediante Angelis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXV. Arguitur primo contra nostram resolutionem: Nam omne agens physicum agit per verum, et physicum contactum, sed humanitas Christi non habebat physicum contactum cum subjectis circa quæ fiebant miracula; ergo non poterat illa operari physice, sed tantum moraliter. Major est communis sententia philosophorum: minor vero probatur, nam multoties operabatur Christus miracula circa res distantes, ut quando puerum centurionis sanavit existentem in domo sua, et quando animam Lazari resuscitavit; tunc enim non videtur quem contactum habuerit circa illam, aut circa corpus; ergo solum moraliter operabatur humanitas miracula.

XXVI. Confirmatur primo, quia etiam ad rationem instrumenti physici requiritur, quod instrumentum possit operari aliquid prævium circa subjectum antequam intelligatur actio principalis agentis; sed humanitas Christi non habebat hanc virtutem operandi aliquid prævium in subjectis circa quæ fiebant miracula; ergo non est instrumentum physicum. Consequentia est bona, et major probatur, nam ideo D. Thomas I part. quæst. XLV, art. v, negat aliquam creaturam assumi posse, ut instrumentum physicum ad creandum, quia cum nullum præsupponatur subjectum non poterit actio creaturæ exerceri prævia actioni principalis agentis. Minor vero probatur, quia multoties non reperiebatur subjectum approximatum humanitati, ut circa illud aliquid operaretur.

XXVII. Confirmatur secundo, quia saltem non potest humanitas operari circa animam physice; ergo non poterit esse instrumentum physicum justificationis animarum. Antecedens probatur, nam anima est pure spiritualis, et humanitas secundum alteram partem est aliquid corporale; sed corpus non potest agere in spiritum; ergo neque humanitas in animas hominum.

XXVIII. Ad argumentum respondetur maximam illam: Agens physicum debet agere per contactum physicum, quæ est propositio per se in philosophia, non debere intelligi de ratione formali causandi, sed de conditione requisita. Itaque contactus non est ratio formalis ut ignis cumburat, sed conditio sine qua non, ut applicatio ejus ad passum. Quare sicut Deus potest supplere applicationem taliter, quod cum igne existente Matri possit comburere subjectum existens Romæ, ita etiam sine contactu physico potest facere, ut aliquod agens

physice operetur. Et cum humanitas respectu miraculorum concurrat ut instrumentum divinitatis, optime poterit exercere rationem instrumenti physici circa res loco distantes.

XXIX. Dicitur etiam potest ad argumentum, quod ad causalitatem physicam non requiritur in agente naturali contactus formalis, sed solum virtualis, qui sufficienter adest quando agens principale est præsens effective, quamvis instrumentum non sit præsens, sicut e contra agens naturale physice operatur ubi non est formaliter, dummodo virtus illius sit præsens, quia per illam virtutem operatur; ut contingit quando generans hominem statim moritur, semine relicto in matrice; atque adeo cum Deus sit præsens ubique, sufficienter adest virtualiter humanitas circa quodlibet subjectum miraculi, ut instrumentum Dei.

XXX. Ad primam confirmationem respondetur negando minorem. Et ad probationem dico, quod in omni operatione miraculosa reperiebatur aliqua actio prævia humanitatis circa subjectum miraculorum, quia Christus, aut voce, aut imperio, aut saltem actu suæ voluntatis determinabat suam virtutem ad tale miraculum circa hoc subjectum in particulari. Quod autem esset loco distans non obstat, nam (ut diximus) distantia loci optime potest a Deo suppleri.

XXXI. Ad secundam confirmationem respondetur negando antecedens, et ad probationem dicitur, quod res corporalis virtute propria non potest agere in spiritum; cæterum virtute divina, aut virtute aliqujus causæ spiritualis optime potest operari ut instrumentum circa spiritum, sicut ignis corporeus inferni cruciat dæmones, et animas damnatorum virtute Dei.

XXXII. Secundo arguitur: Nam aliqua miracula fecit Christus, quæ non potuerunt patrari nisi per creationem; ergo saltem respectu illorum humanitas non potuit esse instrumentum physicum. Patet consequentia, quia ut est expressa sententia D. Thomæ i part. quæst. XLV, nulla creatura assumi potest a Deo, ut instrumentum ad creandum. Antecedens probatur, quia quando in baptismo apparuit columba super eum, si vera columba fuit, facta etiam fuit per creationem.

XXXIII. Confirmatur primo, quia alia etiam miracula facta sunt solum per suspensionem concursus divini; sed ad talem suspensionem concursus non potuit humanitas Christi concurrere physice, sed solum moraliter: qua ratione D. Thomas, in tertia conclusione hujus articuli docet, quod anima Christi non habuit virtutem annihilandi, quia annihilatio fit per subtractionem concursus divini; ergo ad talia miracula Christus non potuit concurrere physice instrumentaliter, sed solum moraliter. Major hujus rationis patet in miraculo obscuritatis solis in passione Christi, quod quidem factum fuit per subtractionem lucis.

XXXIV. Confirmatur secundo, quia sicut humanitas Christi causat miracula, et nostram justificationem instrumentaliter, ita etiam ejus passio, et resurrectio, ut est sententia D. Thomæ infra quæst. XLVIII, art. III, et quæst. LVI, art. I et II, et quæst. LVII, art. VI, et alibi; sed resurrectio, et passio Christi non operantur modo miracula physice, cum jam non sint; ergo nec etiam humanitas Christi. Consequentia patet ex majori.

XXXV. Ad hoc argumentum respondetur primo, quod si daremus de facto aliquod miraculum fieri per creationem, ad tale miraculum

non concurreret physice ipsa humanitas Christi, quia hoc expresse ponitur a D. Thoma in tertia conclusione articuli dum dicit: « Non esse humanitatem instrumentum annihilationis, sicut nec creationis; » et doctrina ejus in secunda conclusione intelligitur de miraculis, quæ fiunt ex præsupposito subjecto, aut circa illud: unde si columba illa, quæ apparuit in Jordane vere creata fuit, ad talem creationem non concurreret physice instrumentaliter humanitas.

XXXVI. Secundo, respondetur quod talis columba non fuit facta per creationem, sicut nec stella magorum, sed ex præjacente materia aeris, vel alterius elementi; atque adeo optime potuit humanitas esse instrumentum physicum productionis illius.

XXXVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod revera si aliquod miraculum factum fuit per meram suspensionem concursus divini, ad tale miraculum non concurreret humanitas Christi physice, sicut nec ad annihilationem, quæ per talem suspensionem concursus fit. Cæterum obtenebratio solis in morte Christi non fuit per subtractionem concursus divini, sed per interpositionem lunæ inter ipsum et terram, ut docet D. Donysius in epistola ad Polycarpum, et D. Augustinus epistola LXXX, et libro quæstionum novi testamenti, quæstione x, de quo etiam videatur Suarez tomo II, disput. LVI, potuit etiam esse talis obtenebratio solis per interpositionem alicujus densissimæ nubis; atque adeo ad illud miraculum concurrere potuit physice humanitas.

XXXVIII. Ad secundam confirmationem respondetur negando minorem, et ad probationem dicimus passionem Christi, et ejus resurrectionem etiam modo de facto concur-

rere physice ad justificationem animarum, et etiam concurrerent physice ad resurrectionem corporum in fine mundi, quia quamvis non sit modo ipsa passio Christi actualis, aut resurrectio, est tamen in virtute, sicut sacramentum receptum cum fictione, quod postea recedente tali fictione causat gratiam physice, quia mansit in virtute, ut in materia de sacramentis dici solet a multis Thomistis. Hoc autem multo verius est de resurrectione, et passione Christi quæ remanserunt virtualiter in humanitate Christi cum qua identificantur, et quam determinaverunt ad hos effectus. Et hæc est expressa doctrina Cajetani infra quæst. L, articulo sexto,

XXXIX. Tertio arguitur: Quia in humanitate Christi non est aliqua virtus sufficiens ad causanda miracula; ergo non causat illa physice. Consequentia patet, quia quælibet causa producit effectum per virtutem, quam habet ad illum producendum. Antecedens vero probatur primo, quia si habet virtutem de se sufficientem ad miracula; ergo jam illud, quod mediante illa virtute efficitur non erit miraculum; sicut de facto non est miraculum contritio, aut dilectio supernaturalis, quamvis supernaturalia sint, quia ad illas producendas habet anima sufficientem virtutem a Deo; miracula autem debent excedere vim formæ operative.

XL. Secundo probatur antecedens, quia hæc virtus non potest esse corporalis quia si esset, subjectari non posset in anima Christi; nec etiam spiritualis, quia si esset, subjectari non posset in corpore Christi; ergo nulla datur virtus ad miracula in humanitate Christi, et consequenter illa non causat physice instrumentaliter.

XLI. Respondetur negando antecedens, est enim in humanitate

Christi virtus ad patranda miracula, licet modo non determinemus quænam sit talis virtus, sitne qualitas in humanitate recepta, vel divina motio: et ad primam impugnationem hujus dico, quod instrumentum non habet de se sufficientem virtutem ad producendum effectum, quia ut bene probat argumentum, si in se, et de se haberet talem virtutem per propriam formam, jam esset causa principalis; sed habet virtutem impressam a principali agente, a quo elevatur ut supra vires suas agat, et hac ratione humanitas a divino Verbo elevata instrumentaliter physice concurrat ad nostram justificationem, et ad miracula.

XLII. Ad secundam impugnationem respondetur, quod cum virtus miraculorum non sit aliqua qualitas superaddita instrumento (ut infra dicemus) sed tantum motio quædam divina, quæ recipitur in instrumento, si instrumentum fuerit corporale corporalis erit entitative: spiritualis autem virtualiter, cum circa spiritum operari possit: si autem instrumentum fuerit spirituale, spiritualis etiam erit motio illa entitative, cum non distinguatur realiter ut res a re ab ipso instrumento.

XLIII. Quarto, arguitur Vazquez loco citato, ubi probat ipse hanc sententiam primo ex D. Thoma in III, dist. XVI, quæst. I, art. VI, dicente: « Quod in humanitate Christi, aut alterius sancti solum potest esse virtus ad immutanda corpora per modum intercessionis, aut orationis; » sed hoc est concurrere ad miracula solum moraliter; ergo iste solus concursus reperitur in humanitate Christi.

XLIV. Quod si dicas cum Cajetano in hoc articulo, quod D. Thomas in præsentem mutavit sententiam, quem antea tenuerat, contra arguit Vazquez, quia hoc non colligitur ex hoc articulo, et ultra hoc idem D. Tho-

mas quæst. vi, de potentia, articulo iv, ait modum, quo angelici spiritus operantur miracula esse deferendo imperium Dei, quod est præcipua causa miraculorum. Ecce quomodo non semel D. Thomas affirmat miracula a creaturis fieri solum per concursum moralem; hoc enim sonat illud verbum deferendo imperium Dei, et obiter reprehendit Cajetanum, quod istum locum ultimum D. Thomæ afferat pro sententia asserente creaturas physice instrumentaliter concurrere ad effectus miraculosos producendos.

XLV. Confirmari potest hoc ipsum ex D. Augustino libro xxii de civitate, capite nono, ubi ait, quod omnia, quæ in Scripturis dicuntur de virtute Christi ad patranda miracula verificantur maxime de potestate morali; ergo non est necessarium recurrere ad virtutem physicam.

XLVI. Ad hoc argumentum Vazquez respondetur solutionem Cajetani esse satis probabilem, videlicet, D. Thomam mutasse sententiam in hoc articulo quam antea renuerat. Nec contra hoc aliquid probat Vazquez. Constat enim ex hoc articulo D. Thomam asserere quod humanitas Christi habet virtutem physicam instrumentalem ad patranda miracula; nam si in secunda conclusione solum loqueretur de concursu morali (ut auctor ille suspicatur) non negaret in tertia conclusione humanitatem Christi esse posse instrumentum annihilationis, moraliter enim per preces, et obsecrationes bene posset ad illam concurrere. Cum ergo affirmet humanitatem esse instrumentum miraculorum, et neget esse instrumentum annihilationis, aperte constat loqui de instrumento physico, alias nulla constitui posset differentia inter instrumentum miraculorum, et annihilationis. Quare si in tertio affirmavit solum

concurrere humanitatem per modum orationis, et impetrationis, hoc est moraliter, et in præsentia docet, quod etiam physice concurrat, maxime verisimile est mutasse sententiam, et illud constare ex hoc articulo.

XLVII. Secundo, etiam responderi posset, quod D. Thomas dixit ibidem hoc fuisse signum deitatis Christi, quod scilicet imperando faciebat miracula, et non orando sicut alii sancti, nomine vero talis imperii intellexit concursum physicum humanitatis, in quo bene intelligitur differentia inter illum, et alios sanctos, quod alii solum orando, hoc est moraliter, Christus vero etiam physice hoc est imperando.

XLVIII. Nec obstat, quod causa imperans annumeratur inter causas morales, ut quando Dominus servo suo præcipit ut occidat inimicum, tunc enim servus physice occidit, dominus autem solum moraliter, hoc inquam non obstat, quia quando causa imperat aliquid, quod per alium exercendum est tantum concurrat moraliter ut in exemplo posito; quando vero imperat imprimendo aliquid per seipsam eodem imperio ut Christus faciebat, non solum moraliter, sed etiam physice concurrat.

XLIX. Cæterum attendendo ad litteram, et intentum D. Thomæ in illo loco tertio sententiarum verisimilius iudico, quod D. Thomas loquitur ibi de agente immutante ordinem nature per miracula tamquam causa principalis, et virtute propria, et ideo dicit soli Deo convenire, quia naturam ipse solus constituit, et quia orans, aut impetrans est causa principalis moralis, ideo negavit D. Thomas quod aliqua creatura sive Angelus, sive anima Christi habeat virtutem ad immutandam naturam ipsam, videlicet tamquam causa principalis.

L. Nec ex hoc colligi debet, quod non concurrat humanitas physice instrumentaliter ad miracula, quia oppositum melius colligitur ex eadem littera, dum D. Thomas dicit, quod humanitas non orando, aut intercedendo concurrebat ad illa, sicut alii sancti, sed imperando. Et juvat hæc expositio ex solutione ad tertium illius articuli, ubi ait D. Thomas, quod Christus miracula sanitatis non poterat facere, sed divinitatis sibi conjunctæ; ad concursum autem per orationem non erat necessarium conjunctam esse humanitatem divinitati, ut patet in aliis sanctis; ergo ad concursum physicum instrumentalem, quem habet humanitas propter unionem ad divinum Verbum.

LI. Ad secundum locum D. Thomæ ex quæstione sexta de potentia, dicimus ibi D. Thomam non loqui de humanitate Christi, sed solum de angelicis spiritibus, et de aliis sanctis hominibus; atque adeo quando affirmaret, quod solum moraliter concurrunt ad miracula, non poterat inde colligi eodem modo esse loquendum de humanitate Christi. Præterquam quod in eodem articulo expresse distinguit D. Thomas de modo operandi miracula moraliter, et physice, et ex D. Gregorio in secundo dialogo definiit virtute divina sanctos homines, et Angelos utroque modo miracula facere; ait enim: « Sancti quandoque faciunt miracula orando, quandoque ex potestate, » hoc est, physice. Et infra dicit, quod non habent virtutem ad facienda talia miracula permanenter, et per modum habitus, sed solum transeunter, quando scilicet a Deo actualiter moventur, sicut contingit instrumento. Quæ verba nisi de physico instrumentali concursu intelligi nequeunt; modus vero cauſandi sic instrumentaliter, est deferendo imperium divinum ad subje-

ctum miraculi. Ex quo patet quam optime Cajetanus ad nostram sententiam comprobendam attulerit locum istum D. Thomæ; expresse enim illam docet, et quam sive fundamento ob istam causam reprehendatur a Vazquez; qui autem non vidit articulum istum D. Thomæ, aut noluit intelligere planissima ejus verba, ut sanctissimo doctori, et communi consensui theologorum se opponeret, ut solet.

LII. Ad confirmationem, quam nos adduximus ex D. Augustino, respondetur ibi doctorem sanctum non affirmasse expresse, quod miracula fiant a sanctis Angelis, et hominibus physice, nec etiam hoc negavit, sed sub dubio reliquit, ut dicit expresse D. Thomas quæstione illa sexta de potentia, articulo quarto; solum ergo dixit, quod veritas sacræ Scripturæ asserentis Christum, et sanctos fecisse miracula salvari potest sufficienter per concursum moralem. Supponit autem alterum modum esse possibilem; imo modum illum patranda miracula physice cedere in magnam dignitatem humanitatis Christi asserit super Psalmum cxxx, et sanctos illo etiam modo aliquando facere miracula satis indicat super Psalmum cxxxvii, in illis verbis: *Mirabilia tua, etc.*

LIII. Quinto arguitur prima ratione ipsius Vazquez, quam latissime prosequitur i part. disput. lxxvi, cap. iii. Nos autem sub brevitate perstringemus. Nam res cum aliqua assumitur ut instrumentum ad aliquem effectum, non solum est ordo efficientis, et effecti inter ipsum effectum, et causam principalem; sed etiam inter effectum, et instrumentum ipsum; sed nullus potest reperiri ordo inter effectum, et instrumentum; ergo nullum est dabile, quod physice concurrat ad opera miraculosa. Conse-